Viro Clarissimo Doctissimoque
D. J. Ph. BARATIERO
S. p. d. J. J. Gesnerus.

Cum voluptate legi jucundissimas doctissimasque Literas
tuas; Gratias tibi habeo Vir Clarissime pro transmissa
delineatione praestantissimi nummi; annotationes quibus eum
illustras perplacent, easque integras cum bona venia tua
operi meo interendas curabo. Opera pretium est de loco in
quo nummus repertus est, et a quibus emtus sit inquirere
Si enim suspectae fidei essent a quibus emtus esset, fie-
ri potuisset ut inscriptionis quaedam litera stylo chalcogra-
phico, fraude Italis satis vulgata, in eam formam demu-
tata fuisset. Exstat enim nummus Caligulae cum hoc
typo a Corinthiis cusus, satis obvius, quem praeter Me-
diobarbum, Patinus p. m. 94:1. et Pedrusius in museo Far-
nensi Tom. VIII. Tab. 16: ediderant cujus inscriptio facile
in hanc formam demutari potuerit. Litera illa recen- compactiores
ti opera ficta ut plurimum solent esse aliis minores, et
inaequabilis inscriptionis ordo hanc fraudem non raro
detegit. Vir Clarissime,
Caeterum si in posterum alia tibi innotescent quae ad
augendum et illustrandum opus meum pertinere judicas,
eorum communicatione me nunquam non plurimum de-
vincies, et ad alia officia me habebis paratissimum. Matrices
nummorum rariorum quas mecum communicare necesse esse sta-
tuis, Certissimo tantum ex sulphure liquefacto formare
poteris, quod Cinnabare, vel alio colore tinctum, super nummos
limbo papyraceo inclusos fusum, eos exactissime exprimit.
Si argentei nummi inde aliquantum nigrescunt, levi frica-
tione cum sale, pristinus color eis redditur.

TE

Te partes operis mei, quæ adhuc prodierunt Halæ comparare non potuisse, non miror; Non vendita ullum exemplum mihi pro numerata pecunia, cum vero Bibliopolæ germani commutatione sola, libros comparare velint, paucissima, vel nulla inde cum, sed potius in chalcographorum manus veniunt. Exstant autem Tiguri sequentes partes operis mei, eaque apud Casparum Fuesslinum Pictorem apposito pretio venduntur.

Numismata Regum Macedoniæ	fl. 1.	12.	Xr.
— Regum Syriæ, Ægypti et Arsacidarum	1.	36.	Xr.
— Regum Siciliæ, Judææ Minorum Gentium et Virorum Illustrium.	1.	12.	Xr.
— Græca Populorum et Urbium, Sectio 1ª in Tabb: 27.	2.	45.	Xr.
— — Pop. et Urb. S. 2. Tabb: 25.	2.	30.	Xr.

Si quædam exemplaria Halæ desiderantur velim mihi proxime significes, quot exemplaribus opus habeas, si sex exemplaria numerata pecunia, per mercatorem Tigurinum mihi solvere posses, septimum exemplar adjungere quod sine aliquo sumtu ad usus tuos adhibere posses. Mihi enim meoque Pictori pergratum esset si absque perfidorum Bibliopolarum opera Te adjuvante exemplaria quædam Halæ, Berolini et in locis finitimis vendi possent. Velim tamen scias soli primæ Sectioni adjunctum esse impressum textum, in quibus singuli numi explicantur, reliquis 80. Tabulis nullus textus additus est, sed in ipsis Tabulis

opera

opa Chalcographi, insculptū est nomen Regis vel Populi ad quē nummus ptinet, et loca museorum unde nummi depromti, et loca præstantissimorum authorum qui singula numismata illustrarunt. Nam multo minori sumtu, et majore accuratione integrum et consumatum comentariū adornare et typis describere possum, si semel omnes Tabulæ ad finē perductæ sunt, multa in successu opis pspicientur quæ nullo labore provideri possunt. Interea autem præcipua quæ faciunt ad explicationē rerum quas in Tabulis describere ū potui, ex prolegomenis de Nummis Græcis pdiscuntur, quæ Comentario de Nummis Regū Macedoniæ eo scopo ut universo opi de Nummis Græcis subservirent præfigenda curavi. Sunt etiā bene multi in quorū manibus Harduini opus de Nummis Græcis Populorū et Urbiū, et Mediobarbi de Nummis Impatorū Romanorū, adeoque multo majori desto Tabularū quam textus ipsius tenentur. velut

In ejusdē generis Tabulis proxime prodibit Thesaurus Numismatū Græcorū in 33. Tabulis. et vendetur pro 3. fl: 15. Animus vero est post edita numismata Græca, pedē promovere ad Numismata Impatorū Romanorū. Singulis anis prodibunt 50. Tabulæ nitidissimæ, qui nomina inter subscribentes dare volunt mihi vel Fuesslino pictori, Tiguri franco solvunt ante Martini diem 4. fl: 15. Xr. et proximis nundinis Paschalibus accipient 50. Tabulas, quæ nunquā sub pretio 5. florenorū aliis vendentur. Si quasdā subscriptiones colligere potes, eadē occasione qua mihi rescribes, nomina cum et pecunias pro subscriptione ad me mittere. ab altera parte syngraphas et specimina Tabularum

A Monsieur

Monsieur Jean Philipp
Baratier tres digne
et tres savant ...

à Halle

Tabulam ex numis imputatoriis ad Te transmissurus sum. Liberum Tibi relinquo an hoc consilium Nostrum de Novis supplicatilis cum aliis communicare, an vero tantum inter amicos quos horum nummorum studio teneri nosti subscriptiones colligere velis. Vale Vir Clarissime resque Tuas age fortiter et feliciter neque amare perge. Ligun. d. 18. May 1739.